



P. e. 33

00 Jnt

Theologie

E. VII 455





GRATIA,  
 RUMACTIO PRO CON  
 VERSIONE EDVARDI  
 THORNEI ANGLI, QUI RELI-  
 cta blasphema secta Iesuitarum,  
 uera confessione ad sanctam  
 Ecclesiam IESV Christi  
 filij Dei sese ag-  
 gregauit.

In qua inueniet Lector breuem &  
 solidam confutationem pre-  
 cipuorum errorum  
 Iesuitarum.

Teste,

TILEMANNO HESHVSIO.

BASILEAE, PER BARTHO-  
 lomæum Franconem.

GRATA

ROMANO ROMANO

VERE FORTNE EDVARDI

THEOPHILUS ANGLI QVARELLI

in plachm... ..

hiera correctione ad sanctam

Eccliam rava Christi

Am Dei etc etc

Gregorius

In quo... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..



3

G R A T I A R V M  
A C T I O P R O C O N V E R S I  
o n e E d u a r d i T h o r n e i  
A n g l i .



**I**N C O N V E R S I O N E ho-  
minum ad Deum, & uniuersa  
collectione & propagatione Ec-  
clesiæ, admirabilis lucet bonitas,  
sapientia & potentia Dei. Non  
enim est humanarum uirium, uel perspicaciæ, er-  
rorēs mentis deprehendere, deponere odium Dei,  
amplecti Euangelij ueritatem, & in Deo fiduciam  
collocare. Nam ingenium humanum adeò depra-  
uatum est, ut à uerbo Dei alienum sit: hominum  
uerò commentis plurimum delectetur. Estq; Ec-  
clesia Christi cœtus plerunq; squalidus, & coram  
mundo abiectus: nullis instructa opibus: non ful-  
gens externa gloria: non munita humano præsi-  
dio: omnibus uerò procellis & tempestatibus ca-  
lamitatum exposita: sæpe etiam scædis affecta uul-  
neribus: ut mirum non sit, humana ingenia, moti-  
bus Spiritus sancti non accensa, ab eius societate  
abhorrere. Verum hic filius Dei conditor & uni-  
cus protector Ecclesiæ, suam ostendit & sapienti-  
am & potestatem, dum nō tantum indignissimos,  
et multis errorib. & peccatis sordidos ad partici-  
pationem

pationem æterni regni sua clementia uocat: uerum suo Spiritu sancto ita depellit erroris fascino ab oculis, & mentes noua luce accendit, ut imposturas Sathanæ intelligant, & salutarem Euangelij ueritatem magno desiderio amplectantur: adeoq; corda fiducia Dei corroborat, ut nullo externo squalore, nulla orbitate, nullis periculis, nullis ærumnis uel scandalis deterreantur, sed adgregationem ad Ecclesiam æterni Dei omnibus rebus huius uitæ anteponant.

2. Samuelis 15.

Quis non miretur pium & constantem animum Ithai, Githæi profelyti, aspicientis tristissimam faciem Ecclesiæ, horribili seditione lacertate: in qua impius filius patrem regno expulerat, parentis coniuges palam per incæstam consuetudinem polluerat: in qua sacerdotum authoritas, & tota penè religio collapsa erat: in qua tot principes uiri ab optimo rege defecerant, & omnia perturbata erant: & tamen florentem statum patriæ suæ longè postponentis consociationi Ecclesiæ, atrocissimis tum obiectæ periculis? Verum fuit hoc solius Dei opus in Ithai. diuina clementia tantam lucem in isto peregrino Githæo accenderat, tantumq; robur suo spiritu ei indiderat, ut cum Psalmista magno animo dicere posset: Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis impiorum.

Psal. 48.

Eidē diuinę misericordię et bonitati tribuendū est.



5

est, quòd Eduardus Thorneus natione Anglus,  
spretis omnibus commodis, quibus apud suos po-  
tiri potuit, contulit sese ad societatem Ecclesie  
IESV Christi: illustri & constanti confessione  
fœdissimas blasphemias Iesuitarum, quibus aliquot  
annis irretitus fuit, abiecit: & salutarem doctri-  
nam diuinitus patefactam, & quæ est indubitata  
uox filij Dei, ejus amplexus. Non enim leuia uincu-  
la iniicit Sathan ijs: quos erroribus constrictos te-  
net. Nam præterquam quod mirabili fascino eos  
dementat, uerbi diuini odium illis instillat, & com-  
mentis hominum artificiosos inducit colores: tum  
uerò etiam uarijs huius uitæ commodis, quibus in-  
genium hominis facile illicitur, inuitat eos ad sui  
obsequium. Ut huiusmodi homines decepti & cap-  
ti à Sathana, eripiantur ex potestate tenebrarum,  
& in regnum lucis filij Dei transferantur, & ni-  
hil ducant antiquius quàm ueritatis incorruptæ  
cognitionem, profectò solius Spiritus sancti opera  
fieri necesse est. Cooptatus fuit hic Eduardus An-  
glus, ab ijs qui blasphemæ sectæ & imposturæ suæ  
speciosum nomen societatis IESV prætendunt,  
cum esset annorum 22. Noui enim hi pontificiæ,  
turpitudinis patroni præcipuè dant operam, ut  
incautam & rerum humanarum ignaram iuuen-  
tutem uarijs artificijs alliciant, & à teneris, suis  
blasphemis erroribus imbuant. Posteaquam enim  
uident Romani Antichristi fœda idola, crassissi-

6  
mos errores & uanissima commenta, uel inuitis  
inferorum portis in lucem protracta, ualidissimis  
testimonijs sacrae Scripturae confecta, & eo pro-  
iecta esse, ubi cordati homines ea non solum deri-  
deant, sed etiam execrentur, de adultioribus iam-  
dudum desperarunt.

Nomen suum Esauiticae societati primùm dedit  
Louanij, ubi spem conceperat, se missum iri Ro-  
mam: Italiam enim uidendi desiderio tenebatur.  
Cum uerò uoto paupertatis, castitatis & obedi-  
entiae obstrictum tenerent, mox Dillingam ablega-  
runt: ut Petri Canisij opera, erroribus papisticis  
totus imbueretur. Eo uerò tum temporis Romae  
agente, Eduardus à praefectis collegij Iesuitarum  
Monacum missus est, ubi annum totum & menses  
aliquot Iesuiticae sectae magistros audiuit, & my-  
steria illorum perdidicit: tandem à Petro Canisio  
Dillingam reuocatur, ut nimirum eius authorita-  
te in suscepto errore confirmaretur. At hic cum  
diuino instinctu conscientia ipsius solida fidei fun-  
damenta, & firmas aduersus peccatum & iram  
Dei consolationes, quibus coram tribunali Dei  
consistere posset, inuestigaret: seriò etiam, atq; ar-  
dentibus uotis immensam Dei clementiam assidue  
imploraret, ductore Spiritu sancto animaduertit,  
Iesuitarum commenta prorsus incerto niti funda-  
mento: uulneribus conscientiae non modò nulla ad-  
hibere efficacia remedia, uerùm etiam altius tela  
infligere.

7

infligere, animam diris laqueis constringere, & planè à Deo, eiusq; uerbo abducere.

Hanc grauissimam conscientiae luctationem, cū præceptoribus indicaret, nihil prorsus solatiij apud illos reperit. Non enim tentabant conscientiae scrupulum ei eximere expresso Dei uerbo, quod factum oportuit: sed nunc minis, nunc pollicitationibus eum in errore retinere, & ab inquisitione ueritatis deterrere, summo studio contenderunt. Primum lectione eorum librorum, ex quibus ueram & salutarem Euangelij doctrinam haurire potuit, ei interdicunt. Quinq; etiam doctores pontificij uarijs sophismatib. & colorib. persuadere illi cōantur, tantum penes pontificios ueram esse religionem: nec ea quæ Ecclesia Romana in usu haberet, in dubium uacanda esse. Verum Eduardi conscientie satisfactum non est. Olfacere enim cœpit, idolomaniam, superstitiones & errores ab ipsis defendi. Et in primis illi suspectum fuit, quod plurimæ ipsorum adseuerationes nullo Dei uerbo stabilirentur. Non ergo obscure ostendit, displicere sibi hoc uitæ genus. Iesuitæ, ut hominem excitatum ad inquirendam ueritatem, irretitum tenerent, iusiurandum ab ipso flagitant, quo sanctè affirmet, se omnia decreta, sanctiones, ceremonias & dogmata, quæcunq; Romanus pontifex statueret, pro articulis fidei, ad salutem necessarijs, habiturum, omnia adprobaturum, & quouis modo propagaturum.

A 4 rum.

rum. Hic nimirum in lucem prodeunt arcana Iesuitarum mysteria: & palam conspicitur, quo consilio & in quem usum Antichristus Romanus nouam hanc sectam excogitarit, & tantis foueat impensis: ut nimirum iuratos habeat ministros, qui omnem eius impietatem, errores, idola, superstitiones & blasphemias, non solum quibus haecenus mundum impleuit, & ingentem hominum multitudinem dementauit: sed etiam, quae in posterum ad defensionem suae tyrandidis sit excogitaturus, quouis modo propugnent & propagent. Verum cum Eduardus sine atroci uulnere conscientiae, impudentissimum simul & iniquissimum hoc iusiurandum prestare nec posset, nec uellet, haereseos condemnatus excommunicatur: & dies aliquot conclauis inclusus, a consortio & colloquio condiscipulorum separatur. Hic uero nihil intentatum relinquunt Iesuitae, ut Eduardum sententia sua deiciant, quia uero animaduertunt frustra se insumere operam (conscientia enim diuinitus tacta, & sitiens Euangelij ueritatem, & diras comminationes & amplas promissiones eodem loco habet: nec ulla re sedari potest, nisi expresso & indubitato Dei uerbo) ablegarunt eum ad Petrum Canisium, ut eius artificijs & prestigijs, uel ad errores pristinios reduceretur: uel maiore potestate & ratione aliqua, hostibus Euangelij perquam usitata, a studio inquirendi ueritatem plane reuocaretur.

Quia

Quia uerò inuocato Dei auxilio, & rebus se-  
cum diligenter expensis constituit, nunquam redi-  
re ad semel abiectas blasphemias Iesuitarum: sen-  
tiret etiam indies in se magis inflammari ueritatis  
desiderium: præterea cogitaret, quibus periculis  
prudens & sciens sese obijceret, si ad Canisium,  
pontificiæ idolomaniæ acrem patronum, pergeret:  
relicta tota factione Iesuitarum, Lauingam uenit:  
& à pastore reuerendo uiro, domino M. Georgio  
Codonio, sese in doctrina cœlesti, ex ueris fontibus  
sacræ Scripturæ institui petijt. Hic cum de præci-  
puis Christianæ doctrinæ articulis cum Eduardo  
conferret, ac perspicuis & infallibilibus sacræ Scri-  
pturæ testimonijs singula stabiliret, animaduertit  
facile, Eduardum Thorneum seriò abijcere pontifi-  
cia figmenta, & Iesuitarum deliria: magna autem  
animi leticia Prophetiæ & Apostolica doctrinæ  
acquiescere. Promptè igitur, ut uerum Ecclesiæ  
membrum, eum excepit: quia uerò ad gloriam Dei,  
amplificationem ueræ Ecclesiæ, & confirmatio-  
nem piorum pertinet hæc confessio Eduardi Angli,  
publicè de ea testari uolui.

Ac ut omnes qui seriò de futuræ uitæ gloria co-  
gitant amore ueritatis non fucato tenentur, indubi-  
tas querunt conscientie consolationes, & nihil du-  
cunt prius quàm sese Catholica, ueræ & sanctæ Ec-  
clesiæ aggregare, tanquam in speculo (quod aiunt)  
uideant, quàm grauibus, iustis, & omnino necessa-

rijs causis motus sit hic Eduardus, ut sese à Iesuitarum consortio abdicaret: & ad nostrum coetum, qui doctrinam Prophetarum & Apostolorum, & Augustanam confessionē profitetur, sese adiungeret: operę precium esse puto, capita quędam ex doctrina Iesuitarum notare, quę conscientia eius dissimulare non potuit: & simul testimonia Scripturę indicare, quibus conuictus, evidentissimę ueritati ex metu Dei cupidē accessit, ne proprio conscientię iudicio sese summę aduersus Deum contumacię condemnaret.

Iesuitarum.  
doctrinę  
capita.

I. Primum igitur, non immeritò offendit piamentem Eduardi, blasphemia illa Iesuitarum doctrina, qua iubent, ut in necessitatibus & angustijs, nõ tantum ad omnipotentem Deum, & uincum redemptorem generis humani IESVM Christum, per ueram inuocationem confugiamus: uerum etiam, ut Mariam uirginem & Dei matrem, tanquam inuentricem gratię, adiutricem in necessitate, & precum nostrarum exauditricem inuocemus. Sic enim præscribunt in blasphemo suo Catechismo: Sancta Maria mater Dei ora pro nobis miseris peccatoribus. Item: Sancta uirgo Maria iuuua nos miseros, præbe auxilium pusillanimis, refice deplorandos, intercede pro populo. Pari insania iubent etiam alios sanctos & martyres, tanquam auxiliatores in necessitate, intercessores & patronos implorare. Neq; hac insigni in Deum contumeliã contenti,

17  
tenti, prorsus Ethnica cecitate & statuas coli uolū

Ab hac idolomania abhorreere cœpit Eduardus, legerat enim in Sacris literis seuerissimum Dei mandatum: Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis deos alienos corā me. Item: Dominū Deum tuū adorabis, & illi soli seruies. Item: Gloriam meam alteri non dabo. Cum ergo consideraret, huiusmodi inuocationem mortuorum hominum, quibus nō est infinita pōtentia, qui nec gemitus cordium nostrorum inuolant, nec omnium creaturarum sunt domini, expresso Dei mandato aduersari, gloriam æterni Dei obscurare, beneficia I B S V Christi, quem solum pater æternus mediatorem & intercessorem constituit, labefactare: cœpit illi uana religio Iesuitarum suspecta esse. & cogitatione intuens graue Pauli præceptum, Fugite idola: quietam non potuit habere conscientiam, nisi idololatrias Iesuitas desereret.

Exo 1. 20  
D. ut. 5.  
Ier. 42.

II.  
Examinauit deinde doctrinam, quam magistri Iesuitarum iuuentuti, de Lege Dei, proponebant. hanc cum conferret cum Pauli, Christi, Prophetarum & Apostolorum concionibus, ac subinde ad Deum uero gemitu respiceret, illuminatione Spiritus sancti, qui meditatione diuini uerbi efficax est, & ueritatē indagantib. sponte occurrit, deprehendit Iesuitica dogmata *δ'is διὰ πᾶσιν* ab Apostolica explicatione discrepare. Afferunt enim noui hi defensores pontificiæ cecitatis, Lege diuina non  
aliana

aliam flagitari à nobis obedientiam, quàm qualem homo adiutus spiritu Dei præstare possit. Ideoq; præcepta Dei factu facilia, & onus mandatorum, leue esse arbitrantur. Non concedunt, diuinæ legis uoce immundiciem nostræ naturæ accusari, & ream æternæ damnationis peragi. Contendunt, ideo legem à Deo promulgatam esse, ut obseruatione & impletione eius uitam æternam mereamur. Fingunt discrimen inter mandata & consilia. Obseruationem mandatorum uolunt omnibus qui ad hereditatē uitæ æternæ adspirant, esse necessariam: consilia uerò libera, & tantum perfectioni destinata.

Prophetica uerò & Apostolica doctrina, longè grauius nobis de iudicio Dei concionatur. Flagitat enim Deus uoce legis suæ, non solum qualemcunq; obedientiam, & adfectuum inordinatorum cohibitionem: sed multo magis perfectam, spiritua-  
 Deut. 6. carnis nequaquam præstare possunt. Diliges, inquit, dominū Deum tuū ex toto corde, ex tota anima, & ex omnib. uiribus tuis: & proximū tuū sicut te-  
 Exod. 20. ipsum. Et, Non concupisces. Et Christus inquit:  
 Math. 5. Qui adspexerit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo. Quòdiuero purissimam hanc & omni labem carentem, integritatem nequaquam præstare possimus, nost a quidem ingens in firmitas admonere nos debebat. Sed quia  
 sibi



sibi in errore blanditur ingenium humanum, & præ superbia suas sordes & *ἀδυναμίαν* non agnoscit: conuincit etiã nos sacra Scriptura. Paulus inquit: Nam quod impossibile erat legi, eo quòd per carnem infirmabatur, hoc præstitit Deus misso filio. Et eodem capite: Sensus carnis est inimicitia aduersus Deum. nam legi Dei non subiicitur, nec enim potest. Ac de se quidem renato conqueritur Paulus, legem esse spiritualement, se uerò carnalem: imò uniuersum genus humanum testatur esse conclusum sub peccatum, ut Deus omnium misereatur. In quam sententiam & filius Dei, de carnis nostræ infirmitate, quæ legi diuinæ nequaquam satis facere potest, loquitur: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Et: Nunquid Moses dedit uobis legem, & nemo uestrùm est qui seruet legem? His perspicuis testimonijs diuinis, cum figmentis suis fascinati Iesuitæ aduersentur, paulatim sese recollectit ab errore Eduardus, ac apud se statuit, nullum esse magis fidum testem de Dei iudicio, quàm indubiam ipsius uocem. Agnouit etiam, commentum de consilijs Euangelicis, uidelicet de obedientia, de paupertate, & de uirginitate, ad eò non cõsentaneum esse Scripturæ, ut potius utriusq; & Legis & Euangelij, doctrinam obscuret. Omnibus enim hominibus hæc obedientia mandata est, Ne nos ipsos uindicemus: ut iuxta Dei uoluntatem, paupertatem & omnes ærumnas patientur perferamus,

Rom. 8.

Rom. 7.

Rom. 8.

Ioh. 3.

Ioh. 7.

mus, utq; in uera castitate uitam transigamus: somnia etiam de perfectiore statu, tetra sunt blasphemias, pugnant cum lege Dei.

Euangelium uero, nec noua adfert præcepta, neq; ficta pontificiorum consilia tradit: sed immensam Dei misericordiam & bonitatem, qua filium suum unigenitum constituit mediatorem & *αὐτῶν* pro peccatis generis humani, in quo & propter quem omnibus credentibus gratis absq; merito nostro clementissimè offert remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, & hæreditatem uitæ æternæ, explicat.

III. Cum ex Legis uera sententia necesse sit sanam doctrinam de peccato peti, nec ratio quicquam solidi de iudicio Dei statuere possit: Spiritus sancti manu ductione uidit Eduardus, Iesuitas eadem uersania doctrinam de peccato corrumpere, qua Legis iudicium mutilarunt & infregerunt. Docent enim, peccatum esse uoluntatem retinendi uel consequendi quod iusticia uetet: nec agnoscunt peccatum esse, nisi cum uoluntas allecta consentit deliberate. An non igitur insulsi hi Iesuitarum magistri, doctrinam Ecclesiæ de peccato originis, quæ tam ualidis Scripture sacræ testimonijs munita est, quæq; ad præcipuos fidei nostræ articulos pertinet, ex fundamentis euertunt? Defectus lucis in mente, tristis Dei ignoratio, ingenio humano insita peruersitas, carentia iusticiæ originalis, prauæ cogitationes

nes aduersus legem Dei, antequam uoluntatis con-  
 sensus accedat, an non sunt peccatum eterna mor-  
 te puniendum? Quanto plenius Sacrae literae osten-  
 dunt, peccatum non solum esse inobedientiam, sed  
 omne id quod legi diuinae est contrarium? Siqui-  
 dem Iohannes Apostolus ita nos instruit: *ἀμαρτία*  
*ἔστιν ἡ ἀνομία*, Peccatum est quicquid est contra legē  
 Dei: nimirum non solum externa uel interna actio  
 iusticiae contraria, cui noster accedat consensus:  
 sed etiam reatus ille, quo propter Adā praeuarica-  
 tionem obstricti tenemur: & tristis illa deformitas  
 humanae naturae, quod destituimur uera Dei noti-  
 cia, rectitudine uoluntatis, & puritate omnium af-  
 fectuum, Hoc malum eternam meretur damnatio-  
 nem, non solum ante operis perpetrationem, ue-  
 rum etiam antequam uoluntatis accedat consensus.  
 A natura enim sumus filij irae, teste Paulo. Et cum  
 ipse filius Dei assērit, hominem mœchari, qui a-  
 spicit mulierem ad concupiscendum eam: non tan-  
 tum impuras flammās, consensu uoluntatis confir-  
 matas, sed concupiscentiam & delectationem pec-  
 cati coram tribunali Dei ream esse ostendit. Iesui-  
 tis igitur (qui reliquorum pontificiorum more ideo  
 extenuant peccati labem, ut aditus illis sit facilior  
 ad conuellendum amplissimum meritum Domini  
 nostri IESU Christi, & ad uenditandum operum  
 suorum spurcissimas sordes) non potuit acquiesce-  
 re noster hic Eduardus: sed maluit sibi recte mon-  
 strari

1. Ioh. 3.

Ephes. 2.  
 Matth. 5.

strari uulneris magnitudinem, ut tanto maiore studio efficacius remedium apud mediatorem IESVM Christum inquireret.

IIII.

Præterea, non sine causa displicuit Eduardo, nimis turgidum dogma Iesuitarum de uiribus humanis, quibus contra manifestissima sacræ Scripturæ testimonia, eam libertatem etiam ante conuersionem hominis tribuunt, quod sese ad gratiam disponere & preparare, ex sese Verbo adsentiri, & ad bonum applicare possint. Fingunt enim, liberum arbitrium saltim attenuatum, non penitus extinctum esse: contendunt scintillam aliquam ueræ lucis & bonitatis in homine reliquam esse, quæ si excitetur, facile flammam concipiat. At Eduardus dum Christi mandato obtemperans scrutatur Scripturas, longe diuersas ab hac Iesuitarum inani iactantia, de uiribus humanis Prophetarum & Apostolorum inuenit conciones. Hi enim disertissime generi humano nihil præter tenebras tribuunt: docent omnem figmentum cordis humani tantum malum esse ab ineunte ætate: asserunt nos uenundatos esse sub peccato, seruos & mancipia satanæ, à natura filios iræ, hostes Dei, mortuos in peccato: & uniuersa gloria quam Deus in nobis requirit, destitui. Ideoque noua nos egere generatione: eamque non destructis & extinctis nostris uiribus, sed soli gratiæ Dei bonitati & operationi Spiritus sancti assignant. Etsi igitur ægrè se submittit ratio diuino iudicio:

Ioh. 5.  
Gen. 6.  
Rom. 7.  
Rom. 6.

Eph. 6.  
Rom. 8.  
Eph. 2.  
Rom. 3.

iudicio: tamen Eduardus praeunte Spiritu Dei, caelestem doctrinam sequendam esse statuit. sensit enim, quo submissius totum salutis opus soli Deo tribueret, hoc sibi spem uitae aeternae esse uberiores, & firmiores.

In primis uero praestigias & blasphemias Iesuitarum, Spiritus sancti monitu deprehendit Thorneus, quoties in uero timore Dei, doctrinam ipsorum de remissione peccatorum, & iustificatione hominis coram Deo, secum expenderet, & in ea perterrefactae conscientiae firmas & efficaces quaereret consolationes. Non enim, quod multis accidit, absque poenitentiae exercitio in studio Theologiae uersatus est: nec uanissimam eruditionis fumam, aut uentris tantum commoda quaesivit: sed huc semper respexit, ut sibi aduersus peccati uim, conscientiae terrores, iram Dei, mortis aculeos, satanae insultus, & aeternum exitium, stabiles, indubias & uarias pararet consolationes. Itaque quae uel legit uel audiuit, ad usum transtulit, ac tentauit quid in examine conscientiae ualere. Hic uero euidentissime expertus est, nihil futilius, nihil uanius, nihil ineptius esse doctrina Iesuitarum, de peccatorum remissione: eamque non modo nulla prorsus monstrare uulneribus conscientiae remedia, uerum etiam praesentissima desperationis uenena ijs infundere: nec quicquam discriminis interesse, inter Ethnicorum crassissimam inscitiam, & Iesuitarum teterrimos

mos errores. Cum enim in blasphemia sua Catechesi  
 si iuventutem instituere conantur, quibus modis  
 peccata expientur, huiusmodi densissimas nebulas  
 pro ueritate offundunt. Multos (inquiunt) huiusmodi  
 modos, sicuti diuersis morbis diuersa remedia con-  
 ueniunt, sacra Scriptura nobis in Ecclesia propo-  
 nit. Principem uerò locum tenet Pœnitentiæ sa-  
 cramentum: quo neglecto, frustra de reliquis lethali-  
 um peccatorum remedijs adhibendis agimus. Hoc  
 enim ut præsens, ita necessarium pharmacum Chri-  
 stus animarum medicus instituit, & contra omnem  
 peccatorum lepram ualiturum nobis commenda-  
 uit, quando dixit sacerdotibus: Quorum remiseri-  
 tis peccata, remittuntur eis. Secundò, purgantur  
 & expiantur eleemosyna, quia scriptum est: Elee-  
 mosyna ab omni peccato & à morte liberat, & nõ  
 patietur animam ire in tenebras. Tum alibi: Pecca-  
 ta tua eleemosyna redime, & iniquitates misericor-  
 dijs pauperum. Tertio remittuntur peccata, dum  
 læsi, fratri offensam condonamus, dicente Domino:  
 Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet  
 & uobis pater cœlestis delicta uestra. Quarto i-  
 dem fit, cum peccantem fratrem lucrifacimus, si-  
 cuti legitur: Qui conuerti fecerit fratrem ab errore  
 uie suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet  
 multitudinem peccatorum. Quintò, huc pertinet  
 abundantia sinceræ charitatis, ob quã de Magda-  
 lena dicitur: Remittuntur ei peccata multa, quia di-  
 lexit

lexit multum. Charitas enim operit multitudinem delictorum. Sextò, ad idem ualet contriti cordis sacrificiũ, quod nunquam despicit Deus. His alijsq; modis & officijs ueræ pietatis, comparamus atq; præstamus in Christo IESU, quod Apostolus æquissimè admonet: Has habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Subiungunt deinde: Quibus autem remedijs peccata leuiora purgantur? Respondent insani Iesuitæ: Ut eiusmodi animæ sordes in hac uita diluantur, Ecclesia uetus remedia istæc agnouit, & in usu habuit: Humilem sui accusationem, Dominicam precationem, pectoris percussionem, & alias id genus pias in Deum ac erga proximũ exercitationes, corporisq; adflictiones spontè ac religiosè susceptas. Hactenus Iesuitarum blasphemia.

Hic iam in timore Dei cogitet mens pia, & seriò expauescens Dei iudiciũ, an non Eduardus grauissimas, iustissimas, & extremè necessarias habuerit causas istorũ idololatrarũ fecem deserendi, & ad uetã Ecclesiã, in qua efficacia cõscientiæ peccato sauciæ remedia monstrãtur cõfugiendi? Quis enim uel Prophetarũ uel Apostolorũ unquã docuit, uarios esse peccata expiandi modos? Nũquid unicus tantum est mediator, una uia ad uitã perueniendi, in uno tantũ nomine salus? Nõ est aliud nomẽ sub cælo datũ hominibus, inquit Petrus, in quo oporteat nos saluos fieri, Act. 3.

b z fieri,

fieri, nisi nomen IESU Christi. Et quæ (malum) insania est sordidissimis hominū operibus tribuere, quod soli merito Domini nostri IESU Christi in solidum debetur? An non Paulus constantissimè adfirmat, gratis, absq; operibus legis, misericordia Dei, per redemptionem IESU Christi, nos iustificari? Gratia, inquit, saluati estis per fidem, idq; non ex uobis: donum Dei est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Item: Si ex operibus legis est iusticia, Christus frustra mortuus est. Et apostolus Iohannes adfirmat: Sanguis IESU Christi mundat nos ab omni peccato. Quid uerò Christus in propheta Iesaja clamat, de peccatorum deletione? Ego ego, inquit, ille ipse sum, qui deleo transgressiones tuas, idq; propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Ideoq; Iohannes baptista, non Iesuitarum hypocrisin, uel hominum opera, sed filium Dei digito monstrauit, cum diceret: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Petrus uerò omnium Prophetarum cōciones paucissimis complectitur: Huic, inquit, testimonium perhibent omnes Prophetae, quòd remissionē peccatorum accipiant in nomine eius, omnes qui credunt in eum. Hanc unicam & tutissimam arcem conscientiae aduersus totum regnum peccati, ex fundamentis euertunt Iesuite, dum spurcissimo stylo suo remissionem peccatorum non in sanguine filij Dei, sed in suis collocant operibus, ficta nimirum pœnitentia, elemosina,



syna, condonatione fraterna, correptione, charitate, contritione, precatione, pectoris percussione, sui accusatione. & similibus figmentis. Eademq; opera uniuersum beneficium filij Dei sepeliunt, & sanctum nomen eius abolent. Cur enim uocetur IESVS, si populum suum non facit saluum à peccatis, sed id nostris est efficiendum operibus? Flagitiose detorquent Esauite, Scripturæ dicta, ut suis commentis colores inducant: sed manifesta adeo est impostura, ut piorum oculos non facile præstringere possit, præsertim si perspicuis Scripturæ testimonijs insistant. Quod cum faceret Eduardus, & à spiritu Dei indies magis ac magis illuminaretur, constanti iudicio blasphemijs Iesuitarum (utpote quæ nullam turbatæ conscientie pacem adferrebant, quæ uiam ad Deum non monstrabant, quæ omnem fiduciam inuocandi Deum prorsus eneruebant, quæq; gloriam filij Dei æternis obruebant tenebris) abiectis & proculcatis, obuijs (quod adiunt) uulnis Euangelij doctrinam amplexus est: ex qua didicit, solum IESVM Christum esse propitiationem pro nostris peccatis: & æternum patrem gratis, absq; nostro opere, propter filium, delere credentibus omnia peccata, & post tergum suum reijcere omnes iniquitates nostras.

1. Ioh. 2.  
Ies. 38.

Ies. 8.

Nihilominus offendit Eduardum Thorneum VI.  
 corruptela ista Iesuitarum, quod filij Dei IESVS  
 b 3 Christi

Christi officium, propter quod in hunc mundum uenit, cum in signi eius contumelia inuerterunt. Ut enim clarissimæ luci Euangelij, quæ nihil nisi immensam clementiam anxijis pectoribus in Christo IESU ostendit, tenebras inducant: impiè fingunt, IESUM Christum esse legislatorem, qui plura, sublimiora & perfectiora mandata Mosaicis legibus adiecerit. Quasi uerò genus humanum diuina lege, in monte Sinai edita, non satis accusatum, & ad inferos usq; depressum esset. Sed hoc nimirum dant operam isti conscientiarum carnifices, ut omnem in Christo spem infringant: nec plus ab ipso solatij petatur, quàm à Mose expectari potuit: ut tandem perterrefactas & omni ope destitutas mentes, uanissimis præstigijs suorum errorum facilius ludificentur. Sed bene habet, quòd filius Dei proprio ore iuratos hostes suos Esauitas confutauit. inquit enim: Non enim misit Deus filium suum ut iudicet mundum, sed ut mundus per eum saluus fiat.

Ioh. 3.

Matth. 11.

1. Tim. 1.

Non igitur nouus est legislator: sed à Deo constitutus saluator eorum qui per Moysen iam dudum accusati & condemnati sunt. Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Et Paulus testatur, IESUM Christum in hunc mundum uenisse, ut peccatores saluos faceret. Hanc sanam & solidam doctrinam diuinitus patefactam seriò intuens Eduardus, sensit trepidantem animum erigi & stabiliri, ut certa fiducia & alacritate

eri spe ad Christum audeat accedere. Non immeri-  
tò igitur pristinum errorem, qui saluberrimam me-  
dicinam in presentissimum uenenum, dulces conso-  
lationes, in scruas minas, mitissimum patrem in irati-  
dominum, promptissimum opitulatorem in crudelē  
iudicem conuertebat, est aspernatus.

Quid uerò nunc dicam de intricatissima, porten- VII.  
tosa & uarijs erroribus refertissima doctrina Iesui-  
tarum, de pœnitentiâ: quæ uel sola potuit & debu-  
it mouere Eduardum, ut procul ab ista hominum  
colluue aufugeret: & eum coetum in quo salubris,  
plena & solida pœnitentiæ doctrina sonat, investi-  
garet. Immenso Dei beneficio, hoc nostro seculo,  
ad multorū hominum salutē illustrata est doctrina  
de uera hominis conuersione ad Deū: ex fontibus  
Propheticis & Apostolicis euidentissimè monstratū  
est, quid flagitet Deus ab homine, qui sarcina suorū  
delictorum grauatus, & irā Dei intuens, cū Deo in-  
gratiam redire, & inter hæredes uitæ æternæ reci-  
pi cupiat. Ac multæ piæ mentes re ipsa expertæ,  
ad sedandos conscientie dolores nihil in orbe esse  
efficacius, ardentissimis pectoribus Deo gratias e-  
gerunt pro hac salutari luce Euangelij: sed Iesuitæ  
iurati hostes ueritatis, malè metuentes ne quid dece-  
dat quæstui, quem Romanus Antichristus ex nundi-  
natione missarum & indulgentiarum facit, malunt  
in densissimis tenebris cum certissimo periculo sa-  
ntis animarum degere, quàm Euangelij gratissimū  
splendorem

splendorem admittere. Veteres igitur blasphemias  
 renouant: poenitentiam constare tribus partibus,  
 contritione, confessione, satisfactione. Contritio-  
 nem uocant, animi dolorem, & peccati detestatio-  
 nē: hanc dicunt parari nostra cogitatione, uoluntq;  
 parem esse admissō peccato. Addunt deinde, contri-  
 tione peccatum deleri: deinde iubent omnia crimi-  
 na quorum homo recordari potest, sacerdoti con-  
 fiteri: quam confessionem similiter meritoriam es-  
 se uolunt. Tandem & satisfactionem pro delictis  
 urgent: ut nimirum operibus, uel à sacerdotibus in-  
 iunctis, uel spontē electis, peccata in nobis uindice-  
 mus, & pro ijs satisfaciamus. atq; hoc modo non si-  
 ne atroci blasphemia adserunt, nos pleniorē apud  
 Deum gratiam conciliare & promereri. Fingunt  
 præterea, & igne purgatorio post mortem pro  
 peccatis satisfieri. Hic iam non difficile est piæ  
 menti uidere, quā detestabilis conscientiarum car-  
 nificina sit ista Iesuitarum doctrina, quāq; atroci  
 contumelia Dominum nostrum IESVM Chri-  
 stum, qui proprio suo sanguine pro totius mundi  
 peccatis satisfecit, adficiant. Si enim necesse est,  
 dolorem cordis parem esse peccato, quod eternam  
 meretur abiectionem: uniuersa ira Dei, quæ est ig-  
 nis consumens, sustinenda erit: & quis unquam se  
 satis esse contritum statuet? Quod si etiam con-  
 tritio meretur condonationem, certē subinde auge-  
 ri & crescere debet pavor. Nunquid igitur egregij  
 sunt

sunt desperationis magistri Iesuitæ? Vbi uerò in Sa-  
 cris literis omnium peccatorum, quorum memoria subit,  
 enumeratio mandata est? & quis erit confessionis fi-  
 nis, quãdo subinde menti occurrunt uaria delicta que  
 per totam uitã admissimus? Sed omnium est impuden-  
 tissimum mendacium, quòd seposito atq; reiecto pre-  
 ciosissimo  $\lambda\upsilon\tau\rho\omega$ , quod unigenitus Dei filius pro no-  
 bis persoluit, inani audacia fingunt, ad expiandum pec-  
 cata, nostra satisfactione opus esse & sordidis homi-  
 num operibus iram placari. Adeò ne satanæ spiritus uos  
 sacrilegos & impuros Iesuitas transuersos agit, ut  
 audeatis sacrosanctam unigeniti filij Dei Domini no-  
 stri I E S V Christi passionem, contumelias, uerbera,  
 sudorem, uulnera, maledictionem, & mortem deniq;  
 (quæ sola sunt & sufficiens satisfactio pro peccatis  
 totius mundi, & quo solo  $\lambda\upsilon\tau\rho\omega$  uniuersa ira Dei seda-  
 ta atq; extincta est) pedibus cõculcare, & foedissimo  
 ore conspuere? An non Iesaias testatur, Christum  
 uulneratum esse propter transgressiones nostras, 1es. 53.  
 & attritum propter scelera nostra: disciplinam  
 pacis nostræ ei impositam, & nos ipsius luore sa-  
 natos esse? Quin & ipse Christus passim adfirmat, Matth. 20.  
 se ideo uenisse in mundum, ut ponat animam suam  
 $\lambda\upsilon\tau\rho\omega$  pro multis: se dare animam suam pro ouibus? 10an. 10.  
 Optimo ergo consilio discessit Eduardus ab il-  
 lis monstris hominum: qui ut gratiam Romani pon-  
 tificis uenentur, eò insanie delabuntur, ut non uere  
 antur totam uim sanctissimæ mortis I E S V Christi  
 b s elidere,

elidere, & tantum non ludibrio exponere. Longè aliam nunc audit doctrinam de pœnitentia, in hac uera Dei ecclesia: uidelicet, non imaginatione nostra, sed officio legis diuinæ ostendi peccatum, tangi hominum corda, & accendi ueros conscientie pauores. quos quidem non ideo postulat Deus, ut compensent delicta: sed ut iudicium Dei aduersus peccata intelligatur, utq; solatij de reconcilia-  
 tione capaces simus. Verùm in his terroribus & consternatione conscientie, conspectu suæ immundicie grauata, nequaquam est persistendum: imò uerò ad thronum gratiæ, filium Dei, est confugiendum: & indubia fide statuendum, quòd pater æternus propter filiū suum mediatorem, qui pro nostris peccatis abundè satisfecit, remittat gratis omnia nostra delicta, recipiat in gratiam, & statuatur heredes uitæ æternæ, absq; omni nostro merito.

Mar. 1.

Ezech 37.

Sic enim filius Dei ( ut nunc taceam Prophetas & Apostolos, qui omnes eandem rationem secuti sunt) pœnitentiam docuit: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Et ipse Deus de cœlo, iure iurando hanc sententiam stabiliuit: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, se ut conuertatur, & uiuat.

Pro hac saluberrima & rectissima doctrina, Edwardus toto pectore gratias agit omnipotenti Deo: qui summa clementia ex densissimis tenebris, & ex umbra mortis eductum, in tam clara luce collocauit: sentit enim in corde suo, quod sub disciplina le-  
 suitarum

suitarum plenum erat horrore & desperatione,  
nunc Christum uiuere, & ineffabilem leticiam &  
pacem suo uerbo & spiritu accendere.

Ad hæc, cum Eduardus anxie circumspiceret, VIII.  
quæ & ubi nam uera Dei esset Ecclesia, quæ Deū  
uera inuocatione coleret, præsentia Christi frueretur,  
domicilium & sedes ueritatis merito appella-  
retur, & de futura uitæ gloria certa esset: non ei  
satisfaciebant clamores Iesuitarum, qui subinde uo-  
ciferabantur, tantum eam esse Ecclesiam Christi,  
quæ Romanam sedem agnosceret, & Romani ponti-  
ficis dogmata & mandata amplecteretur: persuade-  
re etiam conabantur, Romanam Ecclesiam in arti-  
culis fidei non posse errare, nec errasse unquam:  
Pontificem Romanum & Concilia, ea authoritate  
esse, ut liceat illis Scripturam suo arbitratu expone-  
re, condere articulos fidei, dirimere controuersias  
dogmatum, mutare sacramenta à filio Dei instituta,  
& alia id genus infinita. Etsi autem Eduardus  
pio affectu uenerans augustum nomen Ecclesiæ,  
tam specioso titulo subinde turbabatur, nec se ex-  
pedire poterat: tamen uanissimo illo commento,  
Ecclesiam Romanam errare non posse, & maio-  
rem esse authoritatem Romani pontificis quam sa-  
cræ Scripturæ, & quæ huic affinia sunt, nequa-  
quam adsensus est. Animaduertit enim plurimos,  
& quidem crassissimos, errores in Romanam syna-  
gogam irrepsisse, qui nullo colore amplius fucari  
possunt.

possunt. Vbi uerò attentius expendit, quibus tesseri-  
 ris Ecclesia uera agnoscenda esset, ductore Spiritu  
 sancto, & prælucente uerbo Dei, eò peruenit, ut  
 nihil iam dubitet, hanc solam esse ueram & sanctā  
 Ecclesiam Christi, quæ incorruptam filij Dei do-  
 ctrinā amplectitur, utitur sacramentis iuxta Chri-  
 sti institutionem: & ubicunq; terrarum degit, uera  
 confessione nomen Christi profitetur. hac nota e-  
 nim Christus suas insigniuit oues, inquit: Oues  
 meæ uocem meam audiunt. & Paulus testatur ana-  
 thema esse, si quis aliud Euangelium docuerit,  
 quàm ipse Paulus tradiderit.

Ioh. 10.

Gal. 1.

Quibus testimonijs confirmatus Eduardus, in-  
 telligit quæ sit Ecclesia: uidet eam non esse alliga-  
 tam certo loco, nec consistere in perpetua succes-  
 sione episcoporum, neq; etiam ab authoritate Ro-  
 mani pontificis pendere. Imò uerò uerbo Dei ad-  
 monitus, statuit pontificiam turbam, episcoporum  
 synagogam, monachorum coetus, Iesuitarum fe-  
 cem, & totam Romanam colluuiem, adeò nihil cū  
 Ecclesia Christi commune habere, ut hoc tempo-  
 re uix aliud genus hominum sub cælo reperiri pos-  
 sit, quod crudelius & maiore rabie Christum &  
 Ecclesiam oppugnet.

IX. Iam uerò, tetram prophanationem & audacem  
 mutilationem sacrosanctæ cœnæ Dominicæ, quæ  
 certissimum pignus est factæ cum Deo reconcilia-  
 tionis,



tionis, quomodo potuit pius & Deum timens animus Eduardi dissimulare? Fuit illi in conspectu summæ authoritatis mandatum, quod de cælo sonuit, Hunc audite. Subinde ob oculos versabatur institutio filij Dei, qui uniuersæ Ecclesiæ tam sanguinem suum bibendum, quàm corpus suum manducandum dedit. Non sine horrore cogitabat, quantum scelus esset, non hominis tantum, sed ipsius summi Dei testamentum infringere & labefactare. Vidit iniquissimum esse, tantam Christianorum sanguine Christi redemptorum multitudinem, sanguine Christi, quem in testamento omnibus legauit, fraudari. Quis uerò etiam pius non detestetur pontificiorum furorem, quo sacrosanctam Eucharistiam prorsus inuerterunt & conspurcarunt, dum panem Persica pompa circumgestant, & adorandum proponunt: dum fingunt, se in Missa incruentam hostiam pro salute hominum Deo patri offerre, dum turpissimam nundinationem missarum exercent, dum mortuos homines in sacrificio adorant, & tã pro mortuis quàm pro uiuis oblationes faciunt. Quæ omnia ut manifestè pugnant cum expresso Dei uerbo, & cum insigni contumelia Dei coniuncta sunt, ita non immeritò perculerunt animum Eduardi: qui etiam, ne iram Dei in se cumularet tam manifesta idololatria, ad eum coetum se conferre maluit, in quo sacramenta ex præscripto filij Dei administrantur, & cœna Domini integrè præbetur. Scit enim,

enim,

Deut. 12. enim, uerbo Dei nec addendum, nec detrahendum  
quidquam esse.

X. Postremo, inter præcipuas & grauissimas cau-  
sas, quibus Eduardus permotus fuit ut à consortio  
Iesuitarum discederet, & hæc recensenda est. Spiri-  
tus sancti instinctu, solam Scripturam sacram agno-  
uit normam suæ fidei: in hac audiuit ipsum Deum  
loquentem, & de se & sua uoluntate perspicuis  
uerbis testificantem: statuit apud se, nefas esse, du-  
bitare de eo quod Deus proprio ore protulisset:  
pro summa impietate habuit, diuina eloquia uel am-  
biguitatis uel obscuritatis insimulare: intuens etiã  
caliginem humanæ menti ingenitam deprehendit,  
absq; expresso Dei uerbo nihil sani de religione  
ab homine inueniri aut proferri posse. Tantum igitur  
sacram Scripturam canonicam, ut certissimam  
regulam fidei in omnibus controuersijs sequendam  
esse, decreuit. Quicquid uerò absq; Scripturæ testi-  
monijs de religione adfirmaretur, suspectum ha-  
buit. Hæc pia, sancta & tuta Eduardi sententia,  
non modò ingrata, sed prorsus intolerabilis uisa  
est Iesuitis. Hi enim, ut domestico testimonio hosti-  
lem animum suum aduersus Deum & omnem pie-  
tatem toti mundo prodant, palàm negant sacram  
Scripturam certum esse fidei Christianæ fundamen-  
tum: quin potius exquisitissimis cõuicijs Sacras li-  
teras (ut pote quæ illorum ethnica idola, errores,  
blasphemias, scelera, & omnis generis abominatio-  
nes

nes redarguunt) proscindunt, & ab omnium oculis procul remouere conantur.

Quid potest quæso cōtumeliosius in sacra Dei eloquia dici, uel cogitari, quàm quod Iesuitæ & eorum complices pontificij, impudentissimo ore Sacras literas appellant nasum cereum, quæ pro libidine hominum uariè cōtorqueri possit: ut nihil intersit inter diuinam uocem, & Sathanæ ludibria, quæ in utramq; partem accipiuntur. Vocant itē Sacras literas materiam litis, mutum magistrū, literam mortuam, imò occidentem, fundamentum fidei incertissimum: siquidem plena sint obscuritatis & ambiguitatis, & quæ (nisi Conciliorum & Ecclesiæ explicatio & autoritas accedat) non magis nos de religione & certitudine uitæ æternæ instituere possint, quàm Aesopicae fabulae. Vbi adeò sceleratè & toti Scripturæ, & ipsi Deo omnem detraxerunt auctoritatem: tum uerò remittunt suos auditores ad uanissima commenta traditionum, ad pontificij pectoris scrinium, in quod omnia mysteria sint inclusa, ad perpetuam Ecclesiæ fidem, & tandem ad Conciliorum supremam auctoritatem. In his uolunt mentes, seriò de uoluntate Dei erga nos cogitantes, & de uitæ æternæ hereditate adispiscenda sollicitas, acquiescere.

Hæc uerò impostura Iesuitarum adeò manifesta & crassa, cum tam atroci contumelia æterni Dei coniuncta est ut animus uero timore Deum colens,

non

non possit non cohorrescere, cogitans satanam eò  
 audacia abripi, ut non uereatur diuinæ maiestati fi-  
 dem derogare. Eduardus igitur abhorrens pla-  
 nè ab huiusmodi prophanitate, ac cogitans Deo  
 laudem ueritatis sine summo scelere non posse de-  
 negari, ex animo detestatus est Iesuitarum blasphemias,  
 quibus Sacras literas conspuerunt. Ac potius  
 in summo honore eas habuit: his solis acquiescen-  
 dum statuit: in his firmum & stabile quæsiuit fidei  
 suæ fundamentum: nec dubitauit, omnia quæ ad con-  
 sequendam æternam beatitudinem scitu necessaria  
 sunt, in ijs perspicuè, sufficienter, & solidè exposi-  
 ta esse: impium uerò, erroneum & sacrilegum esse  
 duxit, quicquid à scriptis Prophetarum & Apосто-  
 Joh. 5. lorum dissideret. Meminit enim, Christum gra-  
 uissimo præcepto nobis sacras Scripturas commen-  
 dasse, cum inquit: Scrutamini scripturas. ipse enim  
 testimonium de me perhibent. Diligenter in timo-  
 re Dei expendit illustria illa Prophetarum enco-  
 mia, quibus sacram Scripturam ornant, & ab ea  
 Psa. 119. sola se pendere testantur. Lex Domini (inquit  
 Dauid) immaculata, recreans animas: testimonium  
 Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Man-  
 data Domini recta, lætificantia cor: præceptum Do-  
 mini lucidum, illuminans oculos. Et alibi: Lucer-  
 Psa. 119. na pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis  
 meis. Item: Hæc est consolatio mea, in afflictio-  
 ne mea, quia eloquium tuum uiuificauit me. Et Pau-  
 lus

lus inquit: Attende lectioni Scripturarum, quæ te 1. Tim. 3a  
erudire possunt ad salutem.

Huic Spiritus sancti consilio & præcepto omnino obtemperandum esse censuit Eduardus: atque hinc stabiliorem spem salutis concepit, quam quoties ad uanissima somnia traditionum clamoribus Iesuitarum impulsus respexit. Tandem euidenter animaduertit, Iesuitas & reliquos pontificiæ idolomaniæ patronos, uera esse satanæ mancipia: qui ideò omnem Scripturæ authoritatem euertere, & Dei uerbum æternis tenebris obruere conantur, ut noticiam Dei inter homines penitus extinguant, Ecclesiam Christi (quæ est columna ueritatis) excindant, & omnis generis idola, errores & blasphemias in Dei contumeliam & totius generis humani æternam perniciem impune fingant & spargant. Quamobrem non modò salutis suæ tutius & consultius fore statuit, si Iesuitarum consortio prorsus abstineret: uerum etiã, nisi æternæ damnationis periculum subire uellet, à tam prophanis hominibus, & manifestis hostibus filij Dei, quam primum discedendum, urgente conscientia iudicauit.

Intelligit igitur cordatus & ueritatis amans lector, Eduardum nõ ingenij leuitate, uel animi inquietudine, uel uagandi studio, neq; etiam alicuius lucri spe permotum esse, ut discessionem ab hostibus IESU Christi faceret: sed grauissimis & omni-

um maximis de causis. quæ ut omnes qui salutis de-  
siderio tenentur, meritò mouere debent, ut idola  
sugiant, & cœtui electorum sese adiungant: ita non  
solum excusant Eduardi factum, uerùm etiam insi-  
gnem eius pietatem & præclarum Dei timorem  
demonstrant.

Atq; etiam illud in Eduardo nostro laude dig-  
num est, quòd non est passus se ullis conuicijs, men-  
dacijs, calumnijs, opprobrijs, aut petulantissimis  
picturis (quæ nihil præter summam uirulentiam &  
odium immane continent) turbari, aut à concepta  
ex uerbo Dei sententia dimoueri. In promptu est  
enim ratiocinatio, cuius ipse Christus nos admonu-  
it: *Math. 10.* Si patrem familiars uocarunt Beelzebub, nolite  
mirari, si idem contingat domesticis eius. Quia  
ergo Iesuitæ & pontificij adulescentes ipsum De-  
um mendacij arguunt, si quidem clarissimam uocem  
eius in dubium uocant: quid mirum, si in ueram  
Christi Ecclesiam omnis generis mendacia & con-  
uicia confingant?

Nec sanè difficilis est responsio ad uirulentiam  
illam calumniam Iesuitarum & Papistarum, quæ  
Ecclesijs Augustanæ confessioni addictis uaria dis-  
sidia & diuersas sectas exprobrant: atq; hinc colli-  
gere conantur, impossibile esse ut nos simus uera  
Dei Ecclesia. Primum enim non sine causa mira-  
mur, istos calumniatores Ecclesiæ, oblitos esse ua-  
ticinij IESU Christi filij Dei, Pauli, & aliorum.  
Apostolorum,

Apostolorum, qui omnes uno ore adfirmant, uentura esse scandala, exorituos esse pseudopphetas, & fore qui Ecclesiam uarijs erroribus scindunt. An uerò putandum est, Christum tantum de prophanis extra Ecclesiam gentibus, prorsus ignorantibus Prophetarum doctrinam, locutum esse, cum dixit: Cauete uobis à falsis prophetis, qui uestitu ouium ad uos ueniunt? Imò, ut deprauatores doctrinæ cœlestis, qui in ipsa grassantur Ecclesia, qui non solum ciues, sed columnæ Ecclesiæ haberi uolunt, acri studio obseruaremus, admonuit. Paulus certè Ephesios doctores ad diligentem curam gregis excitare uolens: Ex uobis ipsis exorientur uiri (inquit) loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Sed quid? num inde infert, quod insani Papistæ faciunt, Ephesi non esse ueram Ecclesiam? Nequaquam. Adeò ne securis papistis ignotæ sunt astutissimi spiritus artes, insidiæ & studium indefessum, quo noctes atq; dies laborat ut zizania sua in agro Domini, inter triticum purissimum spargat? Quis uerò nisi stupidissimus, & rerum sacrarum prorsus ignarus, ita colligat: Zizania in agro Domini reperiuntur, ager ergo extremæ sterilitatis condemnandus, & de semente tritici desperandum est? Neesse est calumniatores illos parum cogitare de acri certamine, quod est inter Christum & satanam, qui non tantum gentibus prophanis, blasphemis Iudæis, & cæcitate op-

Math. 24.  
& 18.

1. Tim. 4.

1. Cor. 12.

Act. 20.

2. Pet. 3.

Math. 7.

Act 20.

Math. 85.

pressis Turcis, sed omnium maximè ueræ Ecclesiæ insidiatur, ut eam scandalis deformet, dissensionibus laceret, erroribus inuoluat, & abstractam à ueritate in præcipitia desperationis proturbet. Nō ergo negamus, exortas esse in cœtu nostro, qui Augustanam confessionem profitemur, dissensiones: & ex nobis exiisse, qui falsa dogmata sparserunt. Non enim Christo ipso, qui inter duodecim Apostolos proditorem habuit: nec Apostolis ipsis, qui permultos falsos fratres & seductores in ipsa Ecclesia experti sunt, fœliciores sumus. Imò omnibus ætatibus permulti fanatici homines extiterūt, qui falsis dogmatibus ueram religionem contaminarunt, concordiam Ecclesiæ turbarunt, & hostibus Euangelij calumniandi ansam præbuerūt. Quā acre certamen fuit omnibus Prophetis Domini, cum seductoribus, qui sua somnia pro uaticinijs uenditabant, & populum Israhel suis præstigijs à uero Deo abducebant? Irenæus uerò, Augustinus, Epiphanius & Theodoretus, prolixum catalogum perditissimorum hæreticorum recensent, qui omnes in ipsa Ecclesia nati, & in sinu eius enutriti fuerunt: quin & pleriq; illustrem locum in ministerio publico obtinuerunt.

Etsi igitur ethnici, prorsus alieni à Spiritu Dei, per calumniam obijciebant tum Ecclesiæ uarias dissensiones, diuersas sectas & certamina, atq; inde colligere conarentur, cœlum istum qui Christum profiteretur



profiteretur displicere Deo: perinde ut nunc Papi-  
ste & Iesuite plane ethnica inscitia & malicia fa-  
ciunt: tamen pij homines, serio addiscentes Euan-  
gelij doctrinam, adeo non passi sunt se ab Ecclesie  
societate istis scandalis uel calumnijs diuelli, ut tan-  
to ardentiore zelo, & maiore sollicitudine in sa-  
cras literas incubuerint, ut haereticorum fraudes  
uitare possent.

Eadem pietas, prudentia & constantia nobis  
imitanda, est, ne propter amurcam, torcularia, un-  
de apothecae Dominicae fructu olei luminosioris  
implentur, detestemur (ut Augustini uerbis utar)  
qui cum eadem premeretur calumnia, qua nos gra-  
uare conantur Papistae, respondit: Nec mihi arro-  
gare audeo, quod domus mea melior sit quam ar-  
ca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobis u-  
nus inuentus est: aut melior sit quam domus Abra-  
hae, ubi dictum, Eijce ancillam & filium eius: aut  
melior sit quam domus Isaac, cui de duobus gemi-  
nis dictum est, Iacob dilexi, Esau uero odio habui:  
aut melior sit quam domus ipsius Iacob, ubi lectu-  
m patris filius incestauit: aut melior sit quam domus ip-  
sius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit, cuius al-  
ter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem  
bellauit. Haec cum aduersarij in Augustino le-  
gunt, non existimo eos quidquam amplius in hac  
responsione desiderare. Eodem igitur sermone  
& sibi satisfactum putent, & deinceps calumnian-

Epist. 5.

di libidinem frenent. Aut si pro solita sua pertinacia pergent, & nullam agnoscent ueram Ecclesiam, nisi quæ omnium dissidiorum & contentionum sit ignara, & in qua nullæ oriantur sectæ: cogitandum est ipsis non tantum, quòd domestico testimonio totam pontificiorum colluuiem, in qua dissensiones innumerae reperiuntur; condemnant: uerum etiam quòd sanctissimo cœtui, qui Christi & Apostolorum uocem secutus est nec tamen ab hæreticis immunis fuit, titulum Ecclesiæ derogant. Donatistarum, credo, & Catharorum furorem ab inferis reuocare conantur nostri Papistæ. ut enim illi fanatici homines talem imaginabantur Ecclesiam, in qua mali non essent admixti bonis, & propter paleas triticum auersabantur: ita noui hi Donatiani, eo quòd sectæ & scandala in Ecclesia reperiuntur, totam eam abominantur, & condemnant. Quanto rectius facerent, si lilium fragrantissimum inter spinas agnoscerent? Est, & manet omnino uera Ecclesia Christi, quæ incorruptam eius retinet doctrinam: si aliqui uel leuitate ingenij, uel satanæ impulsu, proiecta ueritate, semina spargunt errorum, neque Ecclesiæ neque uerbo Dei hoc imputandum est. Quin Ecclesia uera authores nouorum dogmatum semel atque iterum admonitos, si pergant obstinate, graui & seuerio iudicio à sua societate & communione arcet, neque amplius pro ciuibus agnoscit.

Arrius, Samosatenus, Pelagius, fuerunt antea  
 pars

Sant. 2.

pars Ecclesiae: sed dum errores blasphemos excogitant, eosq; furiosa pertinacia defendunt, præcisi sunt ab Ecclesia, neq; amplius quidquam commune cum ea habent. Eodem modo & nostra ætate non pauci cœlestis doctrinæ deprauatores, recto iudicio à congregatione Ecclesiae prorsus exclusi sunt. Ut igitur Iohannes dicit, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: ita & nos de corruptelarum patronis dicimus. Iam dudum enim à nobis discessionem fecerunt. Cur nobis, qui ab omnibus corruptelis abhorremus, & puritatem Euangelij, Dei beneficio retinemus, atq; hinc titulum Ecclesiae meritò nobis uendicamus, paucorum hominum & leuitas & arrogantia fraudi esset? Quid si tanta sit, tamq; immensa Dei & sapientia & bonitas, ut ipsas quoq; perditissimas scèlas in utilitatem & cōmodum piorum conuerteret? Paulus inquit: Necessè est uenire hæreses, ut probati inter uos manifestentur. Innuit ergo Apostolus, non absq; emolumento abire hæreses. Electis enim omnia in bonum cedunt. Exorto aliquo certamine de religionis doctrina, facile innotescunt, qui seriò amplexi sunt ueritatem: qui patiuntur se duci à spiritu Dei, qui firmiter retinent fidem, & se uerbo Dei subiiciunt. Hi enim non patiuntur se omni uento doctrinæ circumduci: reliqua uerò secura turba in errores præcepserunt. Præterea hæreses perniciosæ, primùm quidem turbant plurimorum conscientias: sed simul occasionem

1. Jo.

1. Cor. 1.

Rom. 8.

præbent pijs animis, maiore attentione expendendi Dei uerbum, ardentiore studio discendi Christi doctrinam, uigilantiore cura ueteris Ecclesie uestigijs insistendi, uehementius & diligentius implorandi auxilium Spiritus sancti, ut nos in ueritate stabiliat atq; instruat, ut omnes præstigias & errores uitare possimus.

Cum ergo Deo placeat, permissione hæresium excitare Ecclesiam ad maiorem curam & uigilantiam, conseruandi thesaurum ueritatis Euangelicæ: insulsum planè & ineptum est, propter exortas dissensiones, uniuersam condemnare Ecclesiam.

Hæc non solum Eduardi causa commemorare uolui: uerumetiam propter eos, qui clamoribus Papistarum de nostris dissensionibus facile perturbantur, & ubi nam sit Ecclesia dubitare incipiunt.

Eduardi mens quia anchora hac firmissima nititur, Hunc cœtum ueram esse Ecclesiam Christi, in quo incorrupta sonat uox Euangelij: in sæuissimis etiam tempestatum procellis tutò consistere potest. Ac paulatim plenius intelliget, & in ipso Dei uerbo deprehendet, solidas has responsiones, quas Sycophantiæ aduersariorum opposui.

Non intempestiuum esset, hoc loco inserere admonitionem ad miseram iuuentutem, quæ sub disciplina Iesuitarum uarijs artificijs informatur, miris blanditijs delinitur, & tyrannide incredibili adstringitur, ne ullus pateat illis aditus ab errore ad ueritatem

ueritatem accedendi.

Verum omnium expeditissima, efficacissima & saluberrima admonitio est, expositio uerae doctrinae, in qua tota nostra salus est sita: & indicatio errorum, qui cum aeterno hominis exitio coniuncti sunt. Quisquis ergo serio de sua cogitabit salute, & Deo clementissime uocanti non obsistet, animaduertet facile uiam rectissimam sibi monstratam esse: & dum assidue a Deo petet, ut a spiritu sancto illuminetur, & confirmetur in fide, haud dubie clementiam Dei uberrime experietur. Qua in re Eduardi exemplum documento esse potest: quod ut pluribus innotesceret, & passim ab omnibus pijs beneficentia Dei celebraretur, uisum est Eduardum publice absoluere, & in gremium Ecclesiae frequenti coetu hominum recipere, & quidem hoc ritu, & publica confessionis ipsius exploratione, quam hic subiicimus.

ACTVS PUBLICAE REVOCATIONIS,  
& editae piæ confessionis Eduardi Thornei Angli.

SECUNDO die Septembris, Anno 1567, cum per dies quatuordecim Eduardus & modestiam in moribus probasset: & priuato examini subiectus, de præcipuis articulis nostrae fidei, pie & recte ex uerbo Dei respondisset: & submissè peti-

c 5

wisset,

uisset, ut ad societatem nostræ Ecclesiæ admitteretur: magna hominum multitudo, tum ut testis esset de uera receptione Eduardi, tum ut uota sua coniungeret, atq; etiam gratias Deo ageret, in templo LAVINGANO conuenit.

Ac illustrissimus Princeps ac dominus, dominus VVOLFANGVS Comes Palatinus Rheni, dux Bauariæ, comes Veldentiæ & Sponheimensis, dominus noster clementissimus, ut palàm testaretur, quantum Celsitudo ipsius ab erroribus, idolomania, blasphemijs & abominationibus Iesuitarum & omnium Papistarum abhorreret: utq; pro sua insigni pietate, non solum Eduardo de conuersione ad Deum, sed etiam toti Ecclesiæ de incremento gratularetur, & Deum pro conseruatione & propagatione ueræ Ecclesiæ inuocaret: sacris publicis & huic actui interfuit. Adfuit etiam generosus & inclytus Comes dominus Ludouicus Ottingensis: pastores uicini, & professores Scholæ Lauingane.

Concione ad populum per pastorem habita, Eduardus in genua procumbens ad altare, & Deo & Ecclesiæ supplex est factus. Quia uerò idiomatis nostri Germanici ignarus est, & tamen opus fuit eum admoneri, & de magnitudine beneficij quod Deus in ipsum conferret, & de precatione seriò facienda, in hoc actu grauissimo: simul etiam,

am,

am, ut auditores commonescerent, quis huius publicæ confessionis & absolutionis usus esset: hic sermo ad Ecclesiam & Eduardum est habitus.

SERMO AD ECCLESIAM  
& Eduardum.

**A**UDITORES charissimi: Cum hic honestus iuuenis Eduardus Thorneus Anglus, qui annos aliquot sectæ Iesuitarum ex inscitia operam dedit, publica uoce pristinos errores sit abiecturus: utq; à uera Dei Ecclesia, in gratiam & societatem beneficiorum **I E S U** Christi filij Dei recipiatur, petiturus: pijs animis nobis cogitandum est, quàm ineffabilis sit uoluntatis diuinæ promptitudo ad ignoscendum ijs, qui relictis erroribus ad lucem ueritatis redeunt: quantamq; læticiam adferat conuersio hominis, peccatis irretiti, ad Deum, uniuersæ Ecclesiæ: quam etiam immensum sit hoc beneficium Dei, quod ei præstatur, qui uinculis satanæ solutus, per Spiritum sanctum eò perducitur, ut uerum Deum agnoscere, salutaria conscientie remedia uidere, in Christo omnem fiduciam ponere, & uitæ æternæ particeps esse possit. Hic uerò meritò subit animum nostrum, amplissimum diuinæ maiestatis iuramentum, quo de sua uoluntate testatus est: **Vi-**  
uo ego, inquit, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat. **Quis uerò**  
hominum

Ezecl. 33.

hominum, non dico oratione, sed tantum cogitatione adsequi posset inexhaustum hunc fontem diuinæ bonitatis, qua non solum clementissimè & liberalissimè promittit erranti ueniam, peccatori remissionem, & hosti suo reconciliationem & uitam: uerum etiam, ut trepidantem nostram conscientiam erigeret ac confirmaret, iureiurando stabilit suam promissionem?

De pœnit.

Rectè ergò Tertullianus: O ter beatos, quorū causa Deus iurat, præmio inuitans salutem: ô miserimos, qui Deo ne iuranti quidem credunt. Nec sanè ullus Apelles ita depingere potest adfectum cordis Dei, quemadmodum ipse Deus pectus suum aperit, erga eos qui pœnitentia ducti, ad Deum redire cupiunt. Verè miserator & misericors Dominus, tardus ad iram, & multum misericors. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neq; secundū iniquitates nostras retribuit nobis. Quemadmodum pater miseretur filiorum, sic misertus est Dominus timentium se. Hoc nimirum unigenitus filius Dei peperit nobis apud patrem sua intercessione, & sanctissima morte, qua totius generis humani peccata expiauit, & iram eius totam placauit. Ideoq; ut nos cunctantes instiget ad petendum ueniam, adfirmat, eternum patrem adfectu ardentissimo occurrere filio suo prodigo, cum adhuc procul abesset. ipse uerò ut fidus pastor, relictis nonaginta ouibus, insequitur perditam ouem in desertum:

Psal. 104.

Lucæ. 15.



sertum: cumq; inuenerit, magno gaudio suscipit eam in humeros suos. Imò sic, inquit, erit gaudium magnum in cœlis coram angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente. Semper igitur hęc immensam Dei bonitatem, & uniuersę Ecclesię congratulationem in conspectu habeamus, ne magnitudine nostrorum peccatorum turbati, de Dei clementia desperemus.

Etsi enim ardens & anxium desiderium conscientię oppressę mole peccati, & expetentis à Deo consolationem, nullius uel eloquentissimi hominis uoce explicari queat: tamen animus humanus nunquam tam est auidus ad accipiendam ueniam, quam diuina bonitas multoties sit paratior ad largiendam & ueniam & uitam æternam. Nulla igitur magnitudo uel peccatorum uel errorum, hanc tam certam Dei clementiam nobis obscuret. Vbi enim abundauit peccatum, ibi superabundauit gratia. Rom. 5.  
 Exempla quoq; amplissima, in quibus ob oculos depinxit nobis misericordiam suam, intueamur. Adam primus omnium parens, quàm horrendo delicto & à Deo defecerat, & totã perdidit posteritatem: non tamen uicit clementiam Dei, nec se se inde sperationis barathrum coniecit. Cogitauerat quidem Deus conterere Aaronem, autorem portentose idolomanie: sed deprecatione interueniente, mox totam iram remisit. Neq; illis qui ante idololatrarum uel hereticorum socij fuerunt, præcluse

cluse fuerunt gratiæ fores. Manasses non tantum idololatra fuit monstruosus: sed etiam Prophetarū persecutor immanis. repleuit enim Hierusalem sanguine innoxio: ueniam tamen consecutus est à misericordissimo Deo. Nabuchodonosor alienus ab Ecclesia, autor noui idoli, & uastator Ecclesiæ, & contumeliosus contemptor Dei: cum pœnitentiam agit, in gratiam recipitur, & fit uiuum Ecclesiæ membrum.

In nouo Testamento infinita penè occurrunt exempla: sed duo sunt maximè insignia, Petri nimirum & Pauli. quorum alter turpissimè Christum negauit, & sese diris execrationibus deuouit: alter uerò in Deum blasphemus, immanis hostis & uastator extitit Ecclesiæ Christi. Verùm ut illustria toti generi humano proponerentur exempla, tantæ Dei clementiæ, quæ nullos peccatores pœnitentiam agentes auersaretur: non tantum utriq; culpã condonauit, uerùm etiam utrumq; constituuit Ecclesiæ præcipuum doctorem & Apostolum. In historia Ecclesiastica legimus Iohannem euangelistã discipulum suum, qui se latronum consortio admiscuerat, & latrocinijs polluerat, non respuisse, sed obuijs ulnis in gratiam recepisse. Cyprianus uerò nunquid atrocissimo scelere magiæ fuit maculatus? ueniam tamen impetrauit: imò diuina gratia eò uectus est, ut non solum insignis extiterit Ecclesiæ doctor, sed etiam martyrij corona sit redimitus. De Augustino

Augustino uerò, qui sua etate fuit lumen Ecclesiæ,  
quid dicam? certè blasphemæ sectæ Manichæorū  
se multos annos operam dedisse ingenuè fatetur:  
sed Dei misericordia, & auxilio Spiritus sancti,  
tandem abiicit prophanum errorē, & ex blasphe-  
mo hæretico præstans Ecclesiæ doctor factus est.

Hæc eò commemoro, primùm ut tu Eduarde cer-  
tam spem concipias, æternum patrem promptissi-  
mè tibi offerre gratiam: nec cogitatione blasphe-  
miarum, quas in secta Iesuitarum audiuisti, trepi-  
des, aut de reconciliatione dubites. Fatendum  
omnino est, Iesuitas blasphemias atroces in Deum  
euomere, dum omnem fiduciam in suis collocant  
operibus: Christi beneficia pedibus conculcant: ido-  
la sua inuocant: aspernando Dei uerbum, Deo om-  
nem derogant auctoritatem.

Verùm deposuisti nunc has sordes, proiecit De-  
us omnia peccata tua post tergum suum, ablutus es  
sanguine filij Dei: & tenebris errorum discussis,  
illuxit tibi gratissimus dies Euangelij: translatus es  
ope Christi, à consortio blasphemorum Iesuitarū,  
ad sanctæ Ecclesiæ societatem. Itaq; nunc sis a-  
nimo tranquillo. imò gratias agas Deo, pro immen-  
so hoc beneficio. Nullum enim beneficium, nulla fœ-  
licitas maior in orbe cogitari potest, quàm libera-  
ri ex carcere satanæ, eripi ex potestate tenebrarū,  
& transferri in regnum lucis filij Dei, & fieri mē-  
brum ueræ Ecclesiæ. Ut enim extra eam nullius sa-  
lutis

lutis spes reliqua est: ita ciuibus Ecclesie uniuersum  
 cœlum cum toto regno Christi patet. Hic iam  
 agnosces Eduarde, uerum Deum: non decipieris ua-  
 na idolorum specie: habebis aditum ad Deum, inuo-  
 candi eum magna fiducia: præstantissima remedia  
 uulneribus conscientie inuenies: intelliges benefi-  
 cia mediatoris IESU Christi: uidebis firma fidei  
 fundamenta in Dei uerbo: experieris Dei præsen-  
 tiam & auxilium in omni necessitate: hauries con-  
 solationes firmissimas: eris munitus præsidio certo  
 aduersus satanam: eris domicilium & templum Spi-  
 ritus sancti, qui hereditatem uitæ æternæ in te ob-  
 signabit.

Hac immensa fœlicitate nunc fruere, posteaquã  
 ciuis ueræ Ecclesie factus sis. hoc est quod David in-  
 quit: **Psal. 84.** Beati qui in domo tua habitant, in secula secu-  
 lorum laudabunt te. Itẽ: iustus ut palma florebit, &  
**Psal. 92.** sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantati in do-  
 mo Domini, in atrijs domus Dei nostri flore-  
 bunt. **Psal. 27.** Vnum petij à Domino, hoc requiram, ut habitem  
 in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ.

Vt ergo Boas gratulatur Ruth sanctissimæ ma-  
 tronæ, quòd patria relicta ad Ecclesiam accesserat,  
 inquit: Reddat tibi Dominus pro opere tuo, &  
 plenam mercedem recipias à Domino Deo Israel,  
 ad quem uenisti, & sub cuius alas confugisti: Ita &  
 ego tibi gratulor de hac fœlicitate, quòd relicta ido-  
 lomania Iesuitarũ, ad patrem Domini nostri IESU  
 Christi

Christi confugisti, & particeps omnium bonorum  
Ecclesie factus es. Deinde ut & uos auditores de  
pœnitentia seriò cogitetis: Aeterno patri & pro  
missio Filio, & hac tanta luce Euangelijgratias age  
tis: utq; simul & pro tota Ecclesia, & pro Eduar  
do & uobis ipsis pia uota faciatis, ut cõfirmet hoc  
quod in Eduardo operatus est: & nos suo Spiritu  
sancto regat, ne Iesuitæ nos suis laqueis implicent,  
aut nos de Dei benignissima promissione unquam  
dubitemus.

Vt autem nunc toti Ecclesie constet, Eduarde,  
de tua conuersione, & uera in Christum fide, tuaq;  
confessione Dei bonitatem testeris, & alios tuo e  
xemplo ad pietatem inuites: non grauaberis, ad in  
terrogata piè & constanter respondere.

Prima interrogatio.

Eduarde frater, agnoscis ne & doles ex animo,  
te apud Iesuitas fuisse in magno errore, quo iram  
Dei & damnationem meruisti?

Responsio Eduardi.

Agnosco, & deploro, me apud Iesuitas crassis  
erroribus fuisse implicitum.

Secunda interrogatio.

Eduarde, fateris ne, solius Dei gratia & bonita  
te te illuminatum esse, ut iam pristinos errores in  
telligas, & Euangelij ueritatem probes?

Responsio Eduardi.

Soli Dei bonitati & misericordie hoc summum  
beneficium

beneficium adscribo.

Tertia interrogatio.

Eduarde, credis ne solum Deum, patrem Domini nostri IESU Christi, inuocandum esse in omni necessitate: & tantum unicum esse mediatorem & intercessorem inter Deum & homines, Dominum nostrum IESUM Christum? adorationem uero Mariæ uirginis, Sanctorum, mortuorum hominum, & statuarum, abominandam esse idololatriam, uerbo Dei prohibitam?

Responsio Eduardi.  
Sic credo, & fateor.

Quarta interrogatio.

Eduarde, quomodo accipit homo remissionem peccatorum, & iustificatur coram Deo?

Responsio Eduardi.

Certissimum est, hominem accipere remissionem peccatorum, & iustificari coram Deo, absq; operibus & propria dignitate, gratis, solius Dei misericordia, propter mortem & obedientiam Domini nostri IESU Christi, per solam fidem. Hanc confessionem coram Deo, & eius Ecclesia, toto pectore edo.

Quinta interrogatio.

Credis ne duas tantum esse poenitentiae partes, uidelicet contritionem, & fidem in Christum: & ex uerbo Dei certò statuendum esse, eum qui credit Euangelio IESU Christi, uerò placatum esse Deo,

517

Deo, esse iustum, & heredem uitae aeternae? Eos ue-  
rò qui, docent dubitandum, esse de gratia Dei, in  
errore uersari?

Responsio Eduardi.

Firmiter hoc statuo: est enim consentaneum uer-  
bo Dei.

Sexta interrogatio.

Eduarde, quam censes uerã esse Ecclesiam Dei?

Responsio Eduardi.

Tantum hic coetus est uera Dei Ecclesia, in quo  
incorrupta sonat Euangelij doctrina, & sacramen-  
ta iuxta filij Dei institutionem administrantur. Ro-  
manam & pontificiam turbam non agnosco pro  
Ecclesia Christi: crudeliter enim persequitur do-  
ctrinam Christi, & pertinaciter defendit errores  
& idola. Agnosco & fateor, in hoc loco per mini-  
sterium Euangelij ueram Ecclesiam Christo colligi:  
& cupio esse ciuis huius coetus, qui profitetur Au-  
gustanam confessionem.

Septima interrogatio.

Eduarde, fateris ne ex mandato Christi neces-  
sarium esse, ut omnes Christiani integram coenam  
Domini accipiant: & quòd Christus in sacra coe-  
na praesens exhibeat uerum suum corpus & uerum  
sanguinem, tam indignis quàm dignis, Eucharisti-  
am sumentibus?

Responsio Eduardi.

Ab utroq; errore abhorreo: primum Papista-

d 2 rum,

rum, qui contra Christi mandatum mutilant cœnã Domini: Deinde eorũ quoq; qui negant ueram corporis & sanguinis Christi præsentia in sacra cœna.

Ostaua interrogatio.

Eduarde, petis ne ut tibi errores & peccata in hac Ecclesia remittantur? Utq; cœna Domini iuxta institutionem filij Dei, in testimonium quòd sis uiuum membrum corporis Christi, & certus hæres uite æternæ, tibi administretur? Promittis ne etiam, te auxilio Spiritus sancti in hac uera confessione constanter permansurum esse?

Responsio Eduardi.

Reuerenter peto remissionem peccatorum & errorum: peto etiam cœnam IHSV Christi, iuxta ipsius institutionem. Promitto in hac confessione constantiam, auxiliante Deo.

#### ABSOLVTIO.

Cum hæc confessio de tua conuersione testetur, sitq; uerbo Dei consentanea, annuncio tibi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, remissionẽ omnium peccatorum & errorum, iuxta mandatũ Christi: Quorum remiseritis peccata, illis remissa erunt: quorum retinueritis, illis retenta erunt. Ac testor coram Deo & sanctis angelis eius, te in societatem Ecclesiæ IHSV Christi receptum esse: te habere placatum Deum, & esse hæredem omnium æternorum



æternorū bonorum, quæ nobis filius Dei sua morte peperit.

## GRATIARVM ACTIO.

Tibi uerò omnipotens Deus, gratias agimus toto pectore, pro immensa bonitate, quòd filium dederis mundo, & tanta clementia per ministerium ad pœnitentiam nos inuitas: quodq; hunc Eduardū ex laqueis sathana eripuisti: confirma hoc Deus, quod operatus es: respice quæso Ecclesiam tuam, eamq; protegas, amplifies & regas: ne sinas obrui tui noticiam: reprime blasphemias Antichristi Romani, & Iesuitarum: reprime & tyrannos spirantes se uas minas aduersus pusillum gregem tuum: frange etiam conatus & consilia fanaticorum, & hominum qui suis corruptelis lucem uerbi tui delere conantur. Custodi nos tanquam oculi tui pupillam, ut sana & firma in filium tuum fide æternam gloriam adipiscamur.

Gratias etiam agimus reuerenter Illustrissimo Principi & domino, domino VVO LFG ANGO, Comiti Palatino Rheni, duci Bauariæ, comiti Veldensi & Sponheimensi, pio Ecclesiæ nutricio, pro insigni & Principe digna pietate & clementia, qua primū hunc iuuenem in tutelam & patrociniū suscepit: atq; etiam huic pio ritui Ecclesiæ interesse, & suo testimonio blasphemias Iesuitarum

suitarum & reliquorum Papistarum idolomanias  
 improbare, doctrinam uero & consolationem ue-  
 re Ecclesie stabilire dignatus est: quodq; liberali-  
 ter instituit & fouet hanc Scholam: & non solum  
 exulibus IESU Christi, singulari clementia hospi-  
 tium præbet, uerumetiam totius Ecclesie in Celsi-  
 tudinis sue ditioe diligentem curam agit: corrup-  
 telis fanaticis nullum locum præbet: magno uero  
 zelo & Ecclesiam tuetur, & eius ædificationem  
 promouet. Aeternus pater pro sua iusticia retribu-  
 at plenam mercedem Celsitudini ipsius, pro hac il-  
 lustris pietate: confirmet etiam eius animum suo Spi-  
 ritu sancto, in hoc pio zelo, ueritatem Euangelij  
 & iusticiam tuendi, & de Ecclesia bene merendi.  
 Amen.

Gratijs Deo actis, Eduardus Thorneus, in te-  
 stimonium quod sit iam pars nostri cœtus, & ius a-  
 deundi æterni regni hereditatem habeat, sacrosan-  
 cta Domini cœna integrè, iuxta filij Dei institutio-  
 nem & expressum mandatum, coram Ecclesia usus  
 est: quo diuine bonitatis sigillo, nimirum corpore  
 & sanguine Domini nostri IESU Christi, consci-  
 entia ipsius & plurimum confirmata, & admirandi  
 Spiritus leticia est perfusa. Nihil porro dubi-  
 tamus, sicuti coram uidimus, totam præsentem Ec-  
 clesiam Eduardo de hac conuersione gratulari, &  
 magno consensu & insigni gaudio Dei bonitatem  
 celebrare:

celebrare: quin simili modo omnes pij, ubicunque locorum sunt, insignem animi læticiam ex hoc Dei opere sint percepturi, Deiq; infinitam clementiam predicaturi: & ueris gemitibus nobiscum Deum precaturi, ut Ecclesiam, quæ solius Christi præsidio nititur, amplificet, & blasphemam Iesuitarum sectam prorsus deleat.

Quia etiam illustrissimus Princeps & dominus, dominus Vuolfgangus Comes Palatinus, &c. dominus, noster clementissimus, pro sua insigni pietate erga Ecclesiam, & omnes qui puram Euangelij doctrinam amplectuntur, Eduardum in tuttelam & patrocinium clementer suscepit: ac alumnis, quos Celsitudo ipsius in celebri Schola Lauingana liberaliter fouet, accensuit: præterea munere amplo donauit, ne illi quidquam uel ad studia, uel ad uitæ sustentationem deesset: intelligunt omnes pij, non solum Eduardum debitione gratiæ obstrictum esse: sed omnes, quotquot ueritatem & Ecclesiam Christi uero prosequuntur amore, decere, ut Inclytum & Pium hunc Ecclesiæ nutricium suis pijs precibus Deo assidue commendent.

*Orō Sō Ex.*

... quibus similibus modis etiam per ...  
... sunt in ...  
... per ...  
... et ...  
... et ...  
... et ...

... etiam illustrat ...  
... Vultus ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...  
... etiam ...

...  
...  
...









AB 58 283

X 2202493

56







GRATIA,  
RUM ACTIO PRO CON  
VERSIONE EDVARDI  
THORNEI ANGLI, QUI RELI  
cta blasphema secta Iesuitarum,  
uera confessione ad sanctam  
Ecclesiam IESV Christi  
filij Dei sese ag  
gregavit.

In qua inueniet Lector breuem &  
solidam confutationem pre  
cipuorum errorum  
Iesuitarum.

Teste,

TILEMANNO HESHVSIO.

BASILEAE, PER BARTHO  
lomæum Franconem.